

Nf. 60.3.



26
GLORIA
TEMPLI SECUNDI

A B

HAGG. II, 7. 9. (8. 10.)

QVO TEMPORE

MIRACVLVM EFFVSI SPIRITVS

PIE CELEBRATVR

EXPLICATA

STVDIO

D. IO. GOTTFR. HAVPTMANNI.

HAB. II, 20. PS. XI, 4. *ad.*

IEHOVA; *in templo sanctitatis suae!*

GERAE.

LITTERIS HEINRICI GOTTLIBII ROTHII.

Dum iam, quatuor prolusionibus, quae praecedit, vaticinationem exposui, velque nostra verba tetigi: sola dictorum repetitio facilem reddet accessum. Sunt verba, quae nunc singulatim interpretabor: *et sedulo implebo*, per eum, qui non modo, tamquam DEVS, caelum ac terram implet Ier. XXIII, 24. sed in cuius etiam corpore tota plenitudo diuinitatis habitat Col. II, 9. *domum hancce, praesertim gloria; dixit ipse, ipse IEHOVA exercituum. Magna erit, gloria domus huius, huius posterioris, prae gloria prioris; dixit, quod diligenter obseruetis, IEHOVA exercituum**). Nouimus, illud argumentum ANT. HVLSIVM, IAC. ABENDANAM Iudaeum, IO. FRISCHMUTH, MICH. BOCCIVM, SAL. DEYLINGIVM et alios, sibi sumfisse: neque tamen nobis spicarum certe collectionem deesse, iure quodam, arbitramur. Antea probavi, DEVM trinum loqui; quamuis solum MESSIAM GEBHARDI nominet. Isaque copulam Hebraeorum, ad modum designandum, adstringit: dum, semel in deuia lapsus, audacter progredi laborat; nec, idem eiusdem rationem fieri, perpendit. Constat inter omnes, verbum *neutrum* in *piel*, vulgo transiens, actionem inuoluere. Nec igitur MESSIAS, hoc etiam obtutu, solus instituit sermonem: quatenus ad illum, tamquam recipientem, quae postea legimus, accommodantur. Huc autem pertinet in primis vocabulum, in quo cardo tractationis nostrae vertitur. Quaeritur initio, quodnam ad templum, illud spectet? Scilicet, vt iam dictum, haud omnes Serubabelicum respexerunt. Adfunt, qui tertium faciunt, Herodianum, vel Ezechielis, illud nondum exstructum, siue Messianum, quod singulatim Iudaei fingunt, multo magnificentius Serubabelico. Largiamur paulisper, quod ex IOSEPHI *ant.* XV, 16. a) fluere videtur, templum plane nouum ab Herode structum fuisse. Neque tamen sequitur, falsam esse vaticinationem: cum hostili vi dirutum opponatur; non amica manu magnificentius aedificatum. Vtique, per partes ac successu temporis, splendidius surrexisse putatur. Immo, cui bono singulas partes

*) in versione critica, non damus specimen stili, potiusque retinemus, quam caueamus, intellectu facilem Hebraisnum.

a) cf. vero etiam CORN. A LAPIDE ad h.l. p. 627. sqq. EZ. SPANHEM *introd. ad hist. V. Tp.* 107. 10. GE. DORSCHER *meditat. de templi personalis I. C. solutione et excitatione* §. 14.

tes aliter condidisset Herodes? Multo minus inuertere licuit illi spatia locorum, diuinitus definita. Inde, quod Iosephus memorat, laterum ad aedificia spectabit, quae similiter templum nominabantur. Alioqui rex plura praesitisset, quam, in oratione, populo promiserat: dum pollicitatio solam ad altitudinem spectabat, vti profus aequaret Salomoneo. Sic et, passim *b)* loquitur historicus, vt istud omnino sit apertum. Quia secum ipse pugnaret, vbi totum, a fundamentis, nouum conditum esset. Ideoque non dicitur tertium aliquod templum, sed alterum, siue Serubabelis, a Romanis crematum esse: vt et, nostro loco, modo prior et posterior aedes comparantur; quod accentuum notae, Chaldaeus, Syrus, Graecus interpres aliique roborabunt. Quid porro, si pariter mente sibi vates templum conceperit? Etenim, ad suum, non solum ad Hierosolymitanum, Mal. III, 1. venit CHRISTVS. Hoc ipsum idem esse, cum Ezechielis aede, plures sibi persuadent. Visionis illius mysteria, licet admiranda potius, quam explicanda, putet HAFENREFFERVS: oculos tamen statim illustrat eminentior sensus *c)*. Procul ab vrbe collocatur Ezechielis templum; amplius propemodum orbe terrarum: structura tota sensum ostendit arcanum: aequales omnium sunt in terra distribuenda partes; omnium tribuum in vrbe viuunt incolae, quo cetera praetereamus. Facile figuram inueniemus concionis militantis ac triumphantis: quo ritus antiqui foederis, explicationis ergo, referuntur. Comparemus, cum Iohanneis figuris, quas arcana patefactio sistit. Non enim contemno veritatem, quamuis et inde quaedam compilauerit fraudator iste Christianus, qui sub Esrae nomine latet. Vrbs in celsissimo monte conditur Ez. XXXX, 2. Apoc. XXI, 10. Qui fundauit ac dimensus est hanc atque templum, describitur Ez. XXXX, 3., vt Apoc. I, 13. sqq. XXI, 15. Ipsa visio Ez. XXXXIII, 2. sqq. ad eam accedit, qua gaudebat vates ad amnem Chebar I, 4-28., et qua diuinae veritatis in N. T. propagatio designatur; addi tamen aequae meretur Apoc. I, 10-19. Aeternam ibi DOMINVS habitationem promittit Ez. XXXXIII, 7. Apoc. XXI, 3. sqq. Obseruatur in ara numerus quaternarius ac duode-

A 2

narius

b) *antt. Iud.* XV, 11-14. XX, 8. *de bello Iud.* I, 16, 21. VI, 4. sqq. EGESIPPVS I, 35.
c) Hunc ipse GVIL. ALB. BACHIENE, in hist. et geogr. Palaestinae descriptione P. I. c. 16. in adpendice, procliuis ad iusionem diuinam a reueris neglectam, coniungit, §. 449.

narius XXXXIII, 15. sq., vt duodecim portas habemus XXXXVIII, 31-35. Apoc. III, 6. sqq. XXI, 17-21. Sacerdotes e semine Zadok, qui tempore Dauidis et Salomonis, CHRISTI figuram ferentium, viuebat, soli nominantur XXXX, 46. XXXXIII, 19. XXXXIII, 15. XXXXVIII, 11.: quod illustrabunt Ies. LIII, 10. sqq. Pl. XXII, 30. sqq. Apoc. V, 9. sqq. Riuus Kidron, per quem REDEMPTOR adiit perpeffiones, quique toties, in sanctissimis litteris, arcanæ rei documentum est, indicatur Ez. XXXVII, 1-12., vt v. g. Ioes. III, 18. (III, 23.) Zach. XIII, 8. sqq. Vbi plurimi piscatores ac pisces XXXXVII, 8-11. Matth. III, 19. cet. Ad easdem aquas, lignum vitæ disponitur, singulis mensibus fertile XXXXVII, 7.12. Apoc. XXI, 6. XXII, 2. Aequi- parantur aduenis inquilini XXXXVII, 22.23. vt vas ille noster sepimentum legis remouit Apoc. VII, 9., vbi simul 3-9., cum duodecim tribuum possessionibus, Ez. XXXXVIII, 1-10. 22-29. bene contendunt. Nec vates v. 35. Hierosolyma vocat, sed DOMINVS *ibidem*, col- latis XXXXII, 7. Gen. XXVIII, 11-19. Pl. LXVIII, 17. CXXXII, 13.14. Apoc. XXI, 22. sq. cuius comma 16. vrbis magnitudinem duodeui- ginti millium leucarum illustrabit. Ad nostrum inde locum reuer- sis, occurrit ABARBANEL, qui, fucum vt faciat, ipsa vocabula, pri- us ac posterius designantia, de tribus semper vel pluribus adhiberi, prae se fert, inuitis quidem tot locis sacris quorum e. g. Gen. XXXIII, 2. Deutr. XXIII, 3. Ies. XXXXIII, 6. Ier. L, 17. euoluamus *d*). Tam aperte fallunt Iudaeorum magistri, saltem vt malae causæ patrocini- um quaerant. Pugnat aduersus eosdem Daniel VIII, 26. sq. collato Matth. XXIII, 38. Pugnat et indignatio diuina, contra Iudaeorum et Iuliani conatus. Primus erat, Aelio Adriano Romanorum impera- tore, duce falso Messia Bencochab, post Bencosba dicto. Ceci- disse tunc feruntur quingentis millia Iudaeorum, cum instigante, qui, Bethorone Palaestinarum, obsidione per triennium et sex menses tolerata, post suos pestilentia, praeliis, fame consumptos, necem sibi consciuit *e*). Alter accidit, Constantino M. dominante, qui, rese-

d) Vtique melius is egisset, si regulam illam Iudaeorum, qui per tempora postero- ra, tempora Messiae volunt intellecta, suam fecisset, v. 10. FRISCHMUTH *de Euan- gelio Sione egressuro* c. I. §. 7. *e*) EVSEBIUS *H. E.* III, 6. IOANNES Chryso- st. *hom.* XXXVI, vel contra Iudaeos III. p. 433. sq.

refectis auribus et stigmatibus iniustis, circumduci iussit, ad reliquorum terrorem, rebelles *f*). Maxime vero famosus erat, Iuliani iussione gratiaque nixorum. Inter deorum cultores, id AMMIANVS MARCELLINVS testatur *g*), quem, agmine facto, Christiani, GREGORIVS, Nazianzenus *h*), IOANNES Chrysofostomus *i*), RVFFINVS *k*), SOCRATES *l*), SOZOMENVS *m*), THEODORITVS *n*), PHILOSTORGIVS *o*) ceteri sequuntur. Omnes illi rem, tamquam singulorum, vel impiorum et incredulorum, ore celebratam ac manifestam, fusius enarrant; nec ipse dissimulat IULIANVS *p*). Nos autem, ad nostros regressi, PETERSENIVM adhuc offendimus, qui *q*) gloriam eam in beato demum millenario exspectat: cum DOMINVS, in forma serui, non gloriam adtulerit templo; quia expulsus inde fuerit iudaeis. Proclivis erit huius interpretationis deiectio. DEVS, in forma serui latens, gloriam diuinam illustravit, quam contumacia mortalium obscurarat: templum contra tertium istud, per somnium forte struitur. Quidque demum? exserto quasi digito, demonstrationis nota, toties repetita, Serubabelicum templum ostendit. Spectat eodem Haggaei scopus, quo vates, ob aedis sacrae vilitatem moestos, consolatur et hortatur. Adfentiunt ipsa Iudaeorum suffragia, DAVID KIMCHII, AZARIAE, MENASSIS ben ISRAEL, aliorum, qui partim prae se ferunt, interpretum optimum quemque, de hoc ipso loco, vaticinationem illam exposuisse. Hinc tuto progredimur, ad opinionem nostram, vberius explicandam et corroborandam. Gloriam vocabulum, vel ipsum DEVM verum designat Pf. CVI, 20.; vel honorem NUMINIS et maiestatem Ies. XXXXII, 8. XXXXVIII, II. Pf. XVIII, 2. XXVI, 8. XXVIII, 3. LXXII, 19. LXXXVII, 6. CII, 16. 17. CIII, 31. CXV, 1. CXXXVIII, 5. Prou. XXV, 2.; vel gloriam CHRISTI, qua DEVS illum ornauit, Ies. XI, 10. XXI, 16. Pf. VIII, 6. XXI, 6.; vel quam DEO praebent homines Ies. XXXII, 12. Ier. XIII, 16. Pf. XXVIII, 1. 9. LXVI, 2. 1 Par. XVI, (XVII,) 28. sq.; vel hasce formas iunctim sumtas Ies. VI, 3. Ier. XVII, 12. Pf. LXIII, 3. LXXVIII, 9. LXXXV, 10. LXXXVI, 3. CXXXV, II.; vel hominum gloriam diuinitus impetrandam Pf. LXII, 8. LXXIII, 24.

A 3

LXXXIII,

f) 10. Chryf. p. 434. *g*) L. XXIII, statim ab initio. *h*) or. III. vel inuectiua. II. in Iulianum, paullo post init. *i*) l. c. *k*) I, 37. sq. *l*) III, 20. *m*) V, 22. *n*) III, 20. *o*) VII, 9. *p*) in epistolae fragmento. *q*) ad Hagg. h. l.

LXXXIII, 12. CXII, 9. II Par. XXVI, 18.; vel hominum inter se genera-
 tim Ies. X, 3. 4. Prou. III, 35. XVIII, 12. XX, 3. XXVI, 1. 8. XXVIII, 23.
 II Par. XXXII, 33.; vel inter homines principatum Ies. XXII, 23. Pf. VII,
 6. sqq. Iob. XVIII, 9. De lingua iam alibi diximus; de reliquis mox
 agemus. Fictas autem significationes cumulare, nil refert. Potius,
 in tam diuersa designatione, quae loci nostri sit, et in quo consistat
 illa posterioris aedis praerogatiua, disquirendum erit. Prioris tem-
 pli gloriam, in quinque rebus collocant, artificioso vocabulo **רַבִּינָא**
 Hagg. I, 8. comprehensis, vnde et **ר**, quinarium numerum indicans,
 sub vocabuli finem, eo loco recisum esse, credunt. Erant illae, arca
 foederis, quae gloria dicitur I Sam. III, 21. *Vrim et Thummim*, *Sche-*
china, caelestis ignis, et spiritus vaticinus. Alii tamen probare stu-
 dent, inter vasa sacra, redditam a Cyro foederis arcam, et a Tito
 circumductam in triumpho fuisse. Neque minus *Vrim et Thummim*
 alteri templo vindicant, quos DEYLINGIUS *) adpellat. Haggaeus
 certe, Zacharias et Malachias, cum aliis, tunc etiam vaticinaban-
 tur. Itaque, magis adtentionem nostram meretur, externa gloria
 diuini NUMINIS, ad tabernaculum Exod. XXXX, 34. ac templum I Reg.
 VIII, 10. sqq. accedens. Hanc ipsam in altero templo cumulatam esse,
 confirmaturus, obstrepentes audio Iudaeos quosdam et Christianos.
 Non nulli Iudaeorum tantam gloriam in eo quaerunt, quod decennio
 diutius durarit alterum templum, quam prius: huic enim CCCCX. illi
 CCCCXX. annos tribuunt. Quasi decennium, ne quidem explo-
 ratum, durationis multifariam corruptae, gloriam comprehenderet,
 quam, etsi longiora tempora largitus, iure tamen negat CORN. a
 LAPIDE. Nimirum, antiquius tugurium, ideo nobiliter haud erit, arce
 recentiore. Structuram alii, praeuio GORIONIDE, iactant; cum ad cen-
 tum cubitorum altitudinem perduxerit Herodes. Fac, ita se habeant
 omnia: num turris, ideo templo clarior, quoniam eminent? Alii suspi-
 ciunt opulentiam, quam fingunt, Solomonea maiorem. Pertinet
 eo iam laudatus Azarias, qui singulatim, ab exteris regibus ac genti-
 bus exhibita, sacrificia donaque memorat. Nominantur Darius,
 Arthafasta, Alexander M., Ptolemaeus Philadelphus, Antiochus M.,
 Demetrius, Ptolemaeus Evergeta, Pompeius, Cleopatra, Iulia, Mon-
 bazus,

*) P. III. obs. 21. §. 7.

bazus, Augustus, Tiberius, Caligula, Nero, partim potius raptores, quam benefici. Praeterea, quod iam prima commentatione diximus, haud indicat vocabulum diuitias, a quibus potius seiungitur 1 Reg. III, 13. Prou. III, 16. VIII, 18. XI, 16: XXII, 4. Cohel. VI, 2. 1 Paralip. XXVIII, (XXX), 12. 23. 11 Par. I, 11. sqq. XVII, 5. XVIII, 1. XXXII, 27. In locis etiam, quae nominari solent, ad opes eodem designandas, varietas erit; quatenus *ταυτολογία* a sanctissimo SPIRITU remouemus. vt, Pf. XXXVIII, 17. Esth. I, 4. V, 11; quod aequè Lutherus interpretes obseruauit. Saltem ergo, talibus e dictis, quo vel Gen. XXXI, 1. referimus, adparet, praeiudicatam mortalium opinionem credidisse, diuites simul esse gloriosos. Spectat illud ad commata nostra, cum intermedio partim, partim cum antecedentibus, coniungenda. Magnificentiam et opes desiderabant Iudaei: sed altiora pollicetur DEVS, subtrahens inferiora. Scilicet, opulentiam prioris domus, e Dauidicis thesauris, Ophirica navigatione, ciuium ac vicinorum collationibus atque donis, multo maiorem fuisse, praeter ipsorum temporum diuersitatem, ostendunt vel 1 Reg. VI. sq. 1 Par. XXII, (XXIII), 14. sqq. XXVIII, 2-9. 11 Par. VIII, 9-27. cet. Tanto magis non nisi noua dicendi titillationi tribuendum est, aequè Christianos in opiniones incidisse, quas et repetiisse piget. Obseruemus potius, Graecos, vertendo: *μεγάλη ἔσται ἡ δόξα τοῦ οἴκου τούτου ἐσχάτη*, nobis vsus praebere potuisse, modo ratione fulciretur haec interpretatio. Quippe, sub finem templi secundi, DOMINVS accessit; vnde plures caderent, in alia discedentium, cogitationes. At, necesse, cur ibi fulcra quaeramus, vbi nulla deprehenduntur. Hinc et Abarbanellem praeterimus, qui gloriam illam, in illustri praesentia diuina, collocat; licet, in tertio nescimus quo templo, praestoletur. Nam expresse DEVS locum a domo seiungit; et hocce posterius templum opponit priori. Nos, accuratius versando, primarias coniungere possumus Hebraici vocabuli notiones, vt gloriam templi posterioris eo luculentius pandamus. Non illa consistit in vanis, sed in apertione maiore perfectionum diuinarum. Solium gratiae, nebula, nubes in priori fuit; in posteriori NUMEN ipsum; ibi symbolum et figura, hic corpus; ibi promissiones ac spes, hic effectus, visus, auditus, tactus. Adest DOMINVS, non seruus, in aede, summus sacerdos ac victima simul, vates Moise maior, *ἰλαστήριον* in sanguine suo
pro-

propositum, panis de caelo descendens, de lessa stirpe radix efflo-
 rescens, finis ac scopus legis, breui, quidquid doctrinis suis pol-
 licebantur, precibus, votis, sacrificiis, desiderabant, exposcebant,
 designabant vetustiores. Quae, Ioannis et testimonio (1 Io. 1, 1. sqq.),
 praerogatiua discipulorum, quae parentum iesu, quae Simeonis et
 Hannae fuit, esse potuisset omnium, in eadem aede congregando-
 rum. Latus est eo CHRISTVS, et ab vtroque sexu cultus. Quidni
 singuli sequi potuerunt exemplum, quod omnibus, Hierosolymi-
 tanis certe, vates illa commendabat? cur aufugere, cur Aegyptum
 petere, solatium ac salus Israelis cogebatur? Rediit, audiuit duode-
 cennis, docuit, interrogauit. Admirantur ac discedunt sapientis-
 simi Iudaeorum. O si potius patefactionem diuinam altius perpen-
 didissent, et, cum Maria, quaelibet pueri verba, pia mente, voluis-
 sent. Profecto, restituta per aduentum SERVATORIS, gloria diuina,
 radios suos, latius ac longius, emisisset. Annon, e funiculis per
 aream templi dispersis confecto flagello, diuini parentis aedem, a pro-
 fanantibus, purgat *f*)? annon omnes sitientes, glorioso tabernaculo-
 rum die, conuocat *Θεὸν ἰδοὺ*? annon semet aeternum DEI filium
 profitetur? annon praeconem agit veritatis, quotquot ibi versatur
 diebus? annon edit miracula; editurus maiora pluraque, si fidem
 inuenisset maiorem? Vtrobique linguam suam gloriosam probabat
 ipse; docebat, adliciebat, vaticinabatur. Itaque satisfaciebat scopo
 diuino: sed homines caecos offendeat, qui gloriam apud suos prae-
 ferrent *t*). DEO gloriam praebebant portitores ac meretrices; Iu-
 daeorum proceres denegabant. Ad ipsos cruciatus, prope tem-
 plum, ibat vas ille diuinus, ac defunctus velum ibi plane scinde-
 bat, vti perpeffionum maiestate plenarum testimonium perhiberet,
 Iudaeorumque pariter ac reliquarum gentium, in eodem, congregatio-
 nem significaret. Solium erat NVMINIS, in sancto sanctorum,
 quo sacerdotes, tamquam ipsius administri, statis temporibus, ad-
 propinquabant, et quod satellites Leuitae custodiebant. Eam gloriam
 adhuc sibi seruarat REX, in monte Sion diuinae sanctitatis, cuius
 Moria pars erat, vnctus; nunc autem, per vniuersum terrarum or-
 bem, dilatabat. Quin, ipse diuinissimus SPIRITVS ibidem effundeba-
 tur.

f) L.H. MAII *orcon. tempor. N. T.* p. 21. sq. *t*) Io. XII, 41. sqq.

tur. Porro, templum illud Hierosolymitanum, habuit figuram totius Christianorum concionis, ac singulorum vere piorum, qui saepius *u*), tamquam viui DEI templum, sistuntur. Quae cum ita sint, illa gloria, si quid nos videmus, e SERVATORIS praesentia, doctrina *x*), miraculis *y*) et opere toto redemptionis cum eiusdem consecutionibus, adparebit. Vt his adfertis, tanto maiorem fidem faciamus, argumenta iuuabunt, tam insita, quam externa. Prioribus addo, particulam demonstrationis, cum adiecto. Iungo posterioribus, quoniam altera nota sola, Salomoneam ad aedem accommodata, licet intempestiuo, dubio locum dedit, Serubabelica saltem illam aedem restituentem, cuius nunc, a deleto simul Leuitico cultu, restitutio nulla. Peterfenius, e Christianis, de Iudaeis, Abarbanel, istum errorem fuit: quibus autem, inter ipsos Hebraeorum magistris, R. s. IARCHI, KIMCHI, ABENESRA, BEN MELECH, ABENDANA repugnant. Vel inde concidet iterum eorum opinio, qui mundi finem respiciunt. Si, quae consequuntur, vere ponderassent; ad diuersa statim pertracti forent. Num enim, in aeternis deliciis demum, illa domus implebitur gloria? num, tunc demum, ibi pacem dabit NUMEN? Exspectamus domus pacis, habitacula secura iustorum; exspectamus Hierosolyma noua: non autem eo digitum intendere potest, in vaticinio contextu nostro, pronomen demonstrans. At, aequè verbis vim infert praecipitata sententia; quatenus copulandi particulam, sine sufficiente ratione, per *postquam*, interpretatur. Herodiani vero templi fautores quoque considerent, quod DEVS ipse pollicetur, semet impleturum esse domum eam gloria. Remouet is ergo, quaecumque vel Herodes, vel alii profani reges aedificauerunt, donauerunt, fecerunt. Non diuinae gloriae rex Idumaeus, sed iactantiae suae, seruebat. Ipsum *gloriae* vocabulum, ideo pariter, ad attentionem meretur: quia CHRISTVS Israelitici populi gloria Luc. II, 32. rex gloriae Ps. XXIII, 7-10. dominus gloriae I Cor. II, 8. Iac. II, 1. splendor gloriae Hebr. I, 3. qui gloriam suam reddidit manifestam, adpellatur. Ne quis hic gloriae nomen ad Hebraismum referat, qui recti suo litan-

B

tium

u) v. g. I Cor. III, 16. sq. VI, 19. II Cor. VI, 16. Eph. II, 20. sqq. Hebr. III, 6. I Petr. II, 3-7. *x*) Matth. XXVI, 55. Marc. XI, 27. Luc. XVIII, 47. Io. VIII, 2. *y*) Matth. XXI, 12. sqq. Io. VIII, 59. cet.

tium esse mos solet. Habemus, ut ubi *templum sanctitatis* adpellatur, et alibi pariter, adiectum; ni pondus exprimeret DEVS, neque reliquis in linguis negligendum, in quibus vulgo nobis obsequii gloria relinquitur. Qui caeli terraeque motum, cum Philippo Melanchthone, cuius sententiam ZACH. SCHILTERVS adfert z), per iunctionem diuinæ naturae, quae caelum, et humanae, quae terra sit, explanant, *ἁγία πνεύματος* singulatim in templo praesentiam gloriosam, inde simul deducunt. Equidem arbitror, quae praecedunt, argumenta sufficere posse. Si quid deest, ex aliis locis sacris repetita, certius opem ferent. Ita, praeter dicta, quatuor iam in prolusionibus adlegata, v. c. Deutr. llll, 6. sqq. decus Israelis in arctiore cum Deo copula ponitur; Ies. V, 1. 7. coll. Marc. XII, 1-11. tandem FILIVS ad amatum in vineam mittitur, ac reiiicitur; Ies. VI, 1-4. 9. sqq. coll. Io. XII, 40. sq. Iesaias in templo IESV gloriam videt; Ies. LVI, 6. sq. coll. Marc. XI, 17. propositum diuinum, ab incredulis Iudaeis impeditum, quod autem eam gloriam magis illustrasset, commendatur. Zach. VI, 12-15. pariter obedientiae conditio nescitur, quae clauem potissimum praebet vaticinis de templo DOMINI verbis. Pl. XXllll, 3-14. mons DOMINI, siue templum memoratur, iubeturque, regi gloriae recipiendo, pandi portas. Eph. I, 17-23. Hebr. VIII, 6. 7. VIII et X. Christiani cultus, prae Leuitico, praerogatiuas ac feliciores consecutiones, in aprico ponunt. Miscentur nebulae quaedam; sed miscentur modo, veritatis a sole statim dispellendae. Si quis obiecerit, mutationem Leuitici cultus in Christianum, non ad secundum templum, de quo vates loquatur, pertinere, quia, non ad templi gloriam spectet, eius abrogatio; facile fuerit ostendisse, non in antiquatis caerimoniis gloriam huius aedis quaeri; sed in aduentu DOMINI gloriosi. Templum ipsum quidem, ut vrbs, si nutum diuinum Iudaei sequuti forent, gloriae particeps mansisset, quae nunc, ad Sionem arcanam et urbem sacram, certe pertinet Ioel III, 5. Multa deorum templa mutata sunt in Christiana; quanto iustius hocce conuerti potuisset! Inde pariter, non templum, sed modo velum, scindebatur. Nec, aduentu REDEMPTORIS, templum est destructum, sed incolarum prauitate. Monuerit alius, ipsum SPIRITVM diuinum profiteri, Hebr.

z) in *ἐξήγησις* ad h. l.

Hebr. VIII, 8. sqq. nomen illud foedus, non esse comparatum secundum Aegyptiacum, ad quod tamen prouocet Haggaeus II, 5. sq. Fac, eo loco, vatem non verbum *ἱερατεῖον* respexisse; connecti posset, cum figuris, alterum illud significatum, et, diuerso respectu, concedi negarique consensio. Consentiebant, in parte diuina pacifcente, firmitate promissionis, occupatione SPIRITVS, effectu fidei salutari: diuersitas erat, cum, ibi quae promittebantur, hic implerentur; vt illud abolebatur foedus, hoc persistat in aeternum. Verum enim vero, *cur, ipsos inter veteres doctores, AMBROSIVS, AVGVSTINVS a), CYRILLVS β), ceteri, templum de coetu solo Christianorum interpretantur?* Scilicet, accommodationibus illi gaudent, et Hierosolymitanum templum Christianae concionis figuram agnoscunt: nec autem talis allegoria sensum proprium tollit. *At, quatenus serui formam habebat GOEL, num in statu gloriae fuit, quam DEVS, in extremo demum die, manifestam reddet* 1 Petr. III, 13. Quid? nonne statim deinceps gloriae SPIRITVS, quo CHRISTVS vngebatur, vel iam dicitur? et an nemo potest habere, quod non iactat Phil. II, 6. cur v. II. CHRISTO gloria tribuitur, perpetuo durans? *Nec autem omnes gentes alteram adem ingressae fuerunt; plurimis, vel plane non, vel a vastatione demum Hierosolymitani templi, ad eminentissimum LIBERATOREM conuersis.* Quasi diceretur alicubi, singulos, ex angulis terrae singulis, aduoluisse. Legamus Pl. XXII, 28 - 33, vt interpretatio nostra fulciatur. Sane, distinguendum est, inter consilium diuinum et effectum humanum; neque minus, inter id, quod corpore fit, quodque fide. Sic habitabat gloria NVMINIS, in hoc altero templo, quae res infinitum eius premium constituiebat. Habac. III, 20. Eandem sequentes et amplificantes, templum illud animo frequentant Io. III, 24. Cum haec ita sint, hodieque gloriam illam vilipendunt, qui salutem, extra VICTOREM Orci, quaerere solent. Hic Cherburii vestigia Marmontelius in Belisario praeiicit. Vtque Germani quidam gloriae sibi ducunt talium voces repetere; naturalis religionis patroni nostri propemodum simile conantur. Isti gloriae suae, cui singularem amorem ac tenerum adfectum praetexunt, gloriam diuinam quasi deuouent; quo successu fructuque, facilius ipsi conspiciunt, quibusque Christiana mens est, perpenderent. Certe, totus sacer codex fictionibus eorum reclamationat; quatenus nondum aperte reiiciunt testimonium illud: quatenus aspernantur; meditatio cuiusuis et experientia prodeunt in medium, nec veterino topitos, immo mortuos, pudore perfundunt. Illi videant, quid opus sit vindice generis humani, quid promeritis eius; si natura ducere beari valeamus. Hi oculos suos, in vitae termino potissimum, excutiant; consulant rationem, simulque sistant sibi NVMEN perfectissimum, sanctissimum, iustissimum. Vnde solatia petent; ni patefactionem NVMINIS integram, ni VADEM suum, ni VADEM diuinum, tota mente fideque, complectantur? *Noni quidquam in sanctissimis litteris quaerendum est?* Equidem salutem scrutari, quam Atticas solum

B 2

aures

a) de C. D. XVIII, 45. et 48.

β) ad nostrum locum, it. ad Is. LIII, 3. in Gen. L V. cet.

ares adrigere, malle. Illi vero, ni recentibus, veritatibus dixerim, an fallacis, anfa praebeatur, eadem semper oberrari chorda, quin compilationes consui, putantes, quam paucis verbis, quot absurda proferunt! Tanta est diuinæ veritatis oceanus, vt nunquam, ab Atlantibus eius generis litterariis, exhauriatur. Dum autem nouitati saltem, vel audaciae fastique, non accuratiōni, diligentiae, pietati, seruiunt; agunt, quod Thraſones, qui vulgo gloriatiōem et exultatiōem praese ferunt. Est modus in rebus: ultra citraque rectum consistere nequit. Num ideo doctores ac professores doctrinae sanctioris, apud Christianos, creantur, vt veritatem diuinam euertant et obscurant, vt oracula prouidentissimi NUMINIS Aesopi graculo comparent, cui pluma, post plumam, euellatur? Tu vero, dixerint, ignoras magnum mundum: non ingressus es aulas principum, quibus fabulae nostrae placere debent: enarratiōnes forte non legis, quae nil, nisi nostra, laudant. Excellentissimis beneficiis acceptum refero, me non implicari tantis vanitatibus; ac doleo simul tam infeliciter gloriosos. Num adprobabunt illi, si quis audacissimus et impudentissimus criticellorum, si piscator, toties ictus, nec vniquam sapiens, vt aegre faciat, quibus inuidet, ephemerides litterarias corrumpit, ipsasque personas principes, vel petere, vel flectere laborat, calumniis suis? Ac tanti theologi, partim apud eminentes, partim apud nouarum rerum nuntios, patrocinia captant, quin, caelum stultitia petunt, modo semet efferant, et omnes terrent melius animatos. Quid enim expectandum est ab iis, qui DEVM vel opibus vendunt, vel honoribus? Mirari satis nequeo, tot alias egregios viros, DOMINVM dominorem et aeternitatem, minus vereri, quam momenti gloriolam, et mortaliū beneuolentiam adpetere. Quae tandem rerum nostrarum facies erit? O mores, o tempora, de quibus, aduentum ipsius nuntiaturis, iam questus est REDEM TOR! Quid explicabitur isthaec diuersum proferendi libido? Fac, quod certo DEVS prohibebit, fac nunc eiecerint alterius aedis gloriam; quid lucrabuntur? perpetuos mentis consciae morsus, cruciatus infernos, dedecus apud vniuersam posteritatem. Annon enim, vel hostibus istis inuitis, Θεάνθρωπος dominabitur? Potius haec sola sit gloria templi Christiani, vt eum, a quo nomen tenemus, profiteamur. Nos, vt tantam gratiam reconciliati PARENTIS, multo plus aestimare discamus, naturam vero deprauatam, hac in primis aetate, suppressere laboremus, vtriusque discrimen, in honorem sanctissimi SPIRITVS, accuratius expendet optimus commilito, IO. DAVID BRAEVLICH, Videntis, praerogatiuam et gloriam viuorum DEI templorum, in quibus diuinissimus SPIRITVS habitat, simul commendaturus. Vt hanc ipsam eminentiam omnibus equidem exopto, sic et, ad preces nostras ardentissimas, non modo S. V. CVRATORES, sed acque singulos vere BONOS et AMICOS, eam oratiōem, perendic H. L. Q. C., cupidius audituros esse, confido. P. P. Gerae, d. XX. Maii, D. R. A. c. 1760 CCLXXXI.



Maerlein p. 25

13. 6.
27.





Id 6020

(I)

X 2284726

mt





GLORIA
TEMPLI SECVNDI

A B

H A G G. II, 7. 9. (8. 10.)

QVO TEMPORE

MIRACVLVM EFFVSI SPIRITVS

PIE CELEBRATVR

EXPLICATA

STVDIO

D. IO. GOTTFR. HAVPTMANNI.

HAB. II, 20. PS. XI, 4.

IEHOVA; in templo sanctificatis suae!

GERAE.

LITTERIS HEINRICI GOTTLIBII ROTHII.